



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Contractus matrimonij potest ex septem capitibus dici vitiosus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

guendo peccantes ex malitia vel infirmitate, vel ex malo usu, excusamus illos, qui ex passione aut usu, aut imprudentia peccant aggrauantes eos qui non nisi qua intendunt malum, eligunt peccare, sunt enim pessimi in quocumque genere peccent: difficile enim videntur corrigi posse. Contingit tamen propter imperfectionem actus esse veniale peccatum ex malitia: vt si quis vana mendacia eligit dicere ex intentione huius mali quod est vanè mentiri, & nō propter aliud. Est siquidem imperfectio actus ex parte mali, quia non est malum perniciosum.

Contractus matrimonij potest ex septem capitibus dici vitiosus.

Matrimonium tum ad peccata quæ in illius contractu interueniunt, tractandum est primò: deinde de peccatis quæ in illius usu occurrunt. In contrahendo igitur matrimonium per verba de presenti, potest ex septem capitibus peccatum incurri. Primò, agendo contra impedimenta dirimentia. Secundò, contra impedimenta non dirimentia. Tertio, contra modū. Quartò, contra intentionē sacramenti. Quintò ex intentione finis mali. Sextò ex præpostera intentione finis. Septimò, ex indignitate personæ.

Quantum ad primum, impedimenta dirimentia continentur in his versibus: Error, conditio, votum, cognatio, crimen: Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen honestas: Si sis affinis, si forte coire nequibis. Hæc socianda vetant connubia, facta retractant: Quorum summaria explanatio est.

Primum impedimentum est error circa substantiā personæ: puta intendit quis contrahere cum primogenita, & supponitur alla, erratur ibi in persona. Sed si erratur in qualitate (puta quia non est bona, aut diues, aut sana &c. vt ei dicebatur) non suffragatur.

Secun-

Matrimonium. 403

Secundum est, conditio. s. serualis: nam si ignorantē seruitutem, libero datur serua, quam si sciret seruam, nō acciperet, nō tenet matrimonium. Tertium est, votum: scilicet solenne religionis approbatæ, siue fuerit professio expressè siue tacitè facta: nam illius matrimonium nullum est. In quarto impedimento clauduntur tria impedimenta iuxta tres cognationes: scilicet naturalem, spiritualem, & legalem. Cognatio naturalis tollit matrimonium vsque ad quartum gradum inclusiuè: ita quod inter consanguineos ac consanguineas in primo, secundo, tertio & quarto gradu non potest esse matrimonium. Cognatio spiritalis, quæ contrahitur in baptismo vel confirmationis sacramento tollit matrimonium secundum tres tantum lineas. Primo est, inter spiritualem parentem & filium seu filiã: hoc est inter tenentē ad baptismū vel chrisma & baptizatum seu confirmatū. Secunda est, inter cōpatrē & cōmatrem. Tertia est, inter fratres spirituales, hoc est personā baptizatam seu confirmatam, & filios seu filias naturales patris spiritalis. Et aduerte hic duo. Primum, quod idē est iudicium de tenente ad baptismū, & baptizate. Secundū, quod idē est iudiciū de tenente ad baptismū, & illius vxore, si iã consummatū matrimonium erat. Cognatio legalis (quæ contrahitur ex adoptione alicuius in filium seu filiam) tollit matrimonium secundum tres lineas.

Prima est, inter adoptantem & adoptatum, ac illius filium, & iterum filium filii, & deinceps.

Secunda est, inter filios naturales ac legitimos adoptantis & adoptatum. Tertia est, inter vxorem adoptantis & adoptatum, & inter vxorem adoptati & adoptantē. Inter quas ponitur differentia, quod tã prima quã tertia est perpetua: secunda autē tēporalis. s. quandiu manet in potestate patris adoptantis: & ideo mortuo patre aut emancipato filio naturali

Bb § vel

404 Matrimonium.

vel adoptiuo, potest inter eos esse matrimonium. Quintum impedimentum est crimen: quod duplex est: adulterium & homicidium. Sed quatuor conficiuntur hinc casus impediētes. Primus est, ex puro homicidio, quando alter coniugū procurat alterum occidi per aliquā tertiā personā: nā inter coniugem remanentē, & personā illā tertiā consortē in homicidii talis crimine, non potest esse matrimonium in perpetuum: ut patet extrā de conuersione infidelium. cap. laudabilem. Secundus est, ex homicidio mixto adulterio, quando alter coniugum adulteratur, & per se vel alium occidit alterū coniugū: nam inter remanentem coniugē & personā illā cū qua adulterium commissum fuerat, nō potest esse coniugium: ut patet extrā de eo qui duxit in mari. quā poll. per adulter. cap. super hoc. & xxxi. q. i. si quis uiuente. Et scito quod multi & fortē omnes exponunt hos duos casus limitando cum vna conditione. scilicet si dictum homicidium fiat ea intētionē, ut sit seu fiat matrimonium inter praedictos: ita quod si non propter hanc intētionē coniux occidens per se vel aliū occidat suum coniugem, non incurrit impedimentū dirimens matrimonium. Sed quum hoc spectet ad ius positiuum: & iura non inueniantur opponere dictā conditionē (ut patet dicta capitula intuenti) nec aliquis alius canon allegatur hanc limitationē apponens, nescio qua securitate limitatio hęc asseri possit. Tertius casus est, ex adulterio non puro sed mixto promissioni fide vallatē, quod quum alter coniux morietur, accipiet illā vel illā in coniugē: siue peccat siue sequatur adulterium huiusmodi promissio. Nam inter istos adulteros cum tali promissione in aeternum non potest esse coniugium: ut patet extrā de eo qui duxit in mari. quā poll. per adulter. cap. si quis vxore, & xxxi. quæst. i. cap. relatum. Quartus casus est, ex adulterio quoque

mixto

mixto contractui secundi matrimonii de presenti, ita quod isti non solum adulterium commiserunt, sed de facto coniuges se fecerunt stante altero eorum ligato in priore matrimonio: nec refert, an adulterium precedat aut sequatur huiusmodi contractum secundi matrimonii nam inter istos sic adulteros non potest unquam esse coniugium: ut patet extra de eo qui duxit in matrimo. quam poll. per adult. cap. significavit. & cap. de literarum. & cap. si quis. Et hunc casum intellige cum grano salis: hoc est, si persona soluta, puta Bertha, sciebat esse coniugatam personam illam cum qua contraxit matrimonium, & commisit adulterium, puta Ioannem. Sciebat inquam aut tunc quando contraxit, aut si tunc nesciebat, & postea sciuit, nihilominus postquam sciuit, commisit adulterium illud, scilicet cum illa persona coniugata, cum qua ignoranter contraxerit, scilicet cum Ioanne. Si vero personam illam, scilicet Ioannem, esse coniugatam nesciuit, quamdiu vixit alter coniunx scilicet Ioannis, sed post illius mortem tantum sciuit: potest si vult, matrimonialiter coniungi cum eadem persona, scilicet Ioanne (ut patet in cap. propositum, & cap. veniens. de eo qui duxit in matrimo. quam poll. per adult.) quoniam ipsa Bertha nunquam commisit adulterium cum Ioanne formaliter: id est ex intentione, sed materialiter tantum: quia putabat se cum proprio marito dormire. Aduerte hic adiungi dictis quatuor casibus, quintum scilicet si mulier occidens uxorem alterius, ut illum habeat in maritum, aut econtrario, si vir occidit in maritum alterius ut illam habeat in uxorem, ita quod inter talem homicidam sic & illum seu illam relictam non potest esse coniugium. Et allegatur c. si quis viuentem. xxxi. q. i. Sed quoniam canon ille loquitur de homicidio coniugis non puro, sed mixto adulterio (ut patet intuenti) & hac ex
 pos.

406 Matrimonium.

positiuo iure robur trahunt, ideo in solis illis casibus qui in iure positiuo sunt, standum videtur.

Sextum est, disparitas cultus: ita quod inter baptizatum & non baptizatum non potest esse matrimonium. Si autem sint baptizati quauis hæretici & apostatae, tenet matrimonium. Septimum est, vis: hoc est violentia. Et sub hoc clauditur non solum violentia absolute, sed violentia per metum cadentem in constantem virum, qui metus in proposito definitur quadruplex: scilicet stupri, siue status, verberis, atque necis: ita quod siue metu mortis, siue verberum, siue status, id est libertatis, siue stupri, consentiens in matrimonium, non consentit sufficienter ad perpetuum matrimonii vinculum: vult enim Ecclesia, matrimonia quæ perpetua sunt habere consensum non qualemcunque sed liberum. Potest autem impedimentum hoc tolli, si postea liberè vult cõsentire in quod prius coactus, aut non consensit, aut non liber consensit, sed ex metu cadente in constantem virum: vt dictum est.

Octauum est, ordo scilicet sacer. Nam ordinatus in sacris non potest contrahere matrimonium: & si contrahit non valet. Nonum est, ligamen, scilicet alterius coniugii. Alligata enim persona alteri coniugit per verba de præsentis, non potest contrahere cum persona alia: & si contrahat & consummet matrimonium secundum, nihil valet etiam si primum non sit consummatum, sed oportet stare in primo. Decimum est, honestas: hoc est publicæ honestatis iustitia, vetans illos inter quos sunt vel fuerunt sponsalia, posse contrahere cum consanguineis alterius partis vsque ad quartum gradum, ita quod Ioannes mortua sua sponsa non potest cum consanguineis sponse olim suæ contrahere, & similiter ex parte sponsi. Statuit enim Ecclesia sponsum & sponsam quò ad hoc

parcs

Matrimonium. 407

pares marito & vxori carnaliter commixtis. Vndecimum est affinitas, hoc est, parentela contracta ex carnali commixtione naturali consummata viri & mulieris: siue sint maritus & vxor, siue quæcunque aliæ persona: & durat vsq; ad quartum gradum ita quòd personis carnaliter sit commixtis, puta Petro & Antonia, non potest Petrus aliquam Antoniaë consanguineam vsque ad quartum gradum habere vxorem: quia sunt sibi effecti affines, similiter Antonia non potest aliquem consanguineum Petri vsque ad quartum gradum habere in maritum: quia sunt sibi effecti affines.

Duodecim sibi impedimentum est, impotentia coeundi, siue hoc proueniat ex natura, siue ex maleficio perpetuo. Et quia hoc impedimentum quum accidit, subiacet speciali exanimi accidentis facti quod à Prælati Ecclesiæ fit, ideò sufficiat confessori hoc nosse.

Hæc sunt impedimenta quæ & impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt illud, si de facto contractum fuerit, etiam si fuerit consummatum, & inde geniti filii & filiaë. Hoc est primum caput ex quo contingit peccare in contrahendo matrimonium.

Secundum verò caput ex quo peccatur in contrahendo matrimonium, constat ex impedimentis non dirimentibus quidem matrimonium, sed impediuntibus & efficientibus vt de iure non possit contrahi matrimonium: si tamen contrahatur, valet. Sunt autem impedimenta hæc xi. Primum est, interdictum Ecclesiæ: si Episcopus vel curatus inhibeat aliquibus ne contrahant propter aliquã rationabilem occasionẽ, donec constet clarè, si est aliquod impedimentum inter eos. Secundum est, votum simplex castitatis. Tertium est, sponsalium cum altera persona. Ille
enim

409 Matrimonium.

enim qui habet castitatis votum, & iste qui iam promissit alteri, non debet violare fidem suam: sed ille debet seruare fidem Deo, iste homini. Quartum est, si quis iunctus est alteri catechismo, quia tenuit ipsum ad catechismum qui fit ante baptismum. Quintum est, incestus cum affinibus, hoc est cum consanguineis coniugis: ita quod talis punitur ut decedente coniuge non possit contrahere matrimonium cum quacunque persona. Sextum est, vxoricidium. Septimum est, raptus alienæ sponsæ.

Octauum, est proprii filii de fonte vel ad chrisma susceptio insidiosa matrimonio, ut scilicet coniunx priuetur debito matrimoniali. Nonum est, presbytericidium. Decimum est, solennis poenitentia. Et vndecimum coniugium scienter cum moniali. Hæc enim impedimenta ex institutione Ecclesiæ sunt præter secundum & tertium quæ ex naturæ iure sunt, quia ad felicitatem spectant. Et primum quantum ad clandestinum: quia contra morem humanæ societatis est.

Et scito peccatum esse mortale si cum tribus prioribus impedimentis contrahitur matrimonium: hoc est, si contra interdictum Ecclesiæ iudice prohibente, si contra votum simplex, si contra sponsalium alterius contrahitur matrimonium: quia matrimonia clandestina totaliter damnata sunt: & Ecclesi debetur obedientia omnimoda in re tanta, & fidem tam Deo quam homini violare in re tanta mortalis offensa est. Notanter autem dixi contra votum simplex, & contra sponsalium alterius quia si quis post votum simplex contraheret, animo tamen ingrediendi religionem antequam consummet matrimonium, non contraheret contra votum: quia non contraheret cum animo violandi votum, ac per hoc non peccaret mortaliter contrahendo: sed teneretur implere votum, imò teneretur ad religionem proficendam, ex quo
posuit

Matrimonium. 408

posuit se in statu in quo non potest aliter implere castitatis votum nisi per religionis professionem. Similiter non contraheret contra sponsalium, si sponsalitia essent soluta. Cum reliquis autē octo impedimentis contrahere, si contemptus desit, noli iudicare mortale, si non est consuetū petere dispensationem, & re vera si non est in memoria hominū quod Episcopi dispensent circa hæc, videntur tacitè consentisse. Tutior tamen pars est eligenda ut habens aliquid horum impedimentorum non dirimentium, petat dispensationem saltem secretè per tertiam personam ab Episcopo, ut licitè contrahat. Potest enim omnibus Episcopus dispensare, nisi circa votum & sponsalium: quia aliunde quàm ex positivo iure hæc robur habent peccati. Hæc de secundo capite. Tertium caput unde peccatur in contractu matrimonii, est modus clandestinus. Et hic modus dupliciter intelligitur.

Primo, si contrahitur omissis bannis, ut sciantur impedimenta si qua sint &c. Et hoc habet locū ubi hæc consueverunt seruari: ubi autem non consueverunt hæc fieri, non incurritur peccatū omittendo hæc quæ ex positivo sunt iure. Alio modo intelligitur, si contrahitur non in facie Ecclesiæ: hoc est occultè sine sufficientibus testibus qui Ecclesiā representant. Et quia hoc est de iure naturæ, tum ratione publica actus qui exigitur ad hoc ut in sociali vita personæ se habeant ut coniuges, tum ratione scandali, tum ratione periculi quotidiani quo transitur ad secunda coniugia omissis coniuge clandestino: ideo hoc non potest fieri absque peccato mortali, nisi per accidens: ut si post contractum de facto tanto matrimonium in facie Ecclesiæ, & consummatum, ad corrediens alter coniugum qui impedimenti secreti dirimentis est concius, obienta dispensatione
contra

contrahere iterum velit, tunc absque testimonio sufficit contrahere ad euitandum scandalum: imò debet etiam coniungi occultare, & petere, vt pro sua consolatione velit iterum acceptare se in coniugē, & sic contrahere: nā cessant in huiusmodi casu omnia inconuenientia. Possunt etiā per accidens contingere multi casus excusantes à mortali contractum clandestinū ad horam, quasi statim publicandū. De quibus vide si vis in commentariis nostris super tertia parte diui Thom. circa finem. Quartum caput peccati in contrahendo matrimonium est intentio contra sacramentum. Et hoc peccatum commune est sacrilegium contra quodlibet Ecclesiæ sacramentum, quando persona exteriori actu simulat sacramentū: quia secundum intentionem interiorem non intendit sacramentum suscipere seu efficere: vt si quis dicat, accipio te in coniugem, & non intendit quod dicit. Huiusmodi enim mendacium perniciosum & sacrilegum, non solū mortale est peccatum, sed irritū reddit sacramentum: & tenetur talis deceptor satisfacere læsæ parti &c. Simile sacrilegium irritans matrimonium committitur contrahendo matrimonium cum pacto contra aliquod trium bonorum matrimonii, scilicet fidei, prolis & sacramenti: vt si deducatur in pactum sterilitas, aut separatio totalis, ad non reddendum debitum. hoc enim est contra fidem, primum contra prolem, secundum autem contra sacramentū. Et ideo vltra peccatum non tenet matrimonii: vt patet extra de conditionibus appo. cap. ultimo. Quintū caput peccati in cōtrahendo matrimonium est intentio mali finis. Et hoc quoq; peccatum commune est reliquis sacramentis & bonis actibus exterioribus: semper enim est peccatum exercere illa ad malum finem. vnde cōtrahere matrimonii ad finem malum (puta ad libertatem adulterandi, ad

furandum

Matrimonium. 418

furandum, ad occidendum, ad lenocinandum &c.) peccatum est mortale manifestum. Sextum caput peccati in contrahendo matrimonium, est intentio præpostera respectu finium seu bonorum ex coniugio expectatorum: expectantur siquidem ex cōiugio, primò proles, secundò, vitatio fornicationis, tertio, amicitia affinium, vtilitas bonorum temporalium, delectatio carnalis cum coniuge &c. Quando ergo aliquis contrahit: & non principaliter propter prolem (nisi senes sint) peccatum interuenit veniale. Quando verò non propter prolem, nec propter vitandam fornicationem mouentur ad cōtrahendum, sed propter commoditatem temporalium bonorum, aut obsequiorum, præposterus est ordo finium. Et similiter quando propter nihil horū principaliter, sed propter pulchritudinem cōiugis & delectationem &c. valde præponitur delectatio cæteris bonis: & quia non seruetur debitus rationis ordo peccatum incurrit. Nunquam tamen propter hæc & similia incurritur peccatum mortale, nec interuenit abusus sacramēti, quia non ordinatur propterea sacramentum coniugii ad finem extraneum, sed remanet ordinatum ad suum finem: qui est mutua potestas corporum coniugum, & sanctificatio eorum: vt sciat vnusquisque suum vas possidere in sanctificationem: quoniam intendunt se habere vt coniuges secundum Ecclesiam: sed aduentitius finis delectationis vel diuitiarum, &c. ponitur vt est finis non coniugii, sed vel quare magis cum ista quam eum illa contrahat vt Iacob maluit cum Ra-chele pulchra, quam Lia lippis oculis contrahere, vel mutationis voluntatis ad applicandum se ad contrahendum coniugium: sicut Dauid, quia egebat calefaciente se, mutauit voluntatem, vt acciperet vxorem Abisac Sunamiten, sicut etiam sacerdos non celebraturus hodie, mutat voluntatem vt complacet alicui,

& celebret. Non enim propter hæc, sacramenta ordinantur ad hæc, sed mutationes nostrarum voluntatum. In his igitur aut non inuenitur peccatum, si voluntas est ordinata: aut veniale, quando inordinata est intentio præponens postponenda. Septimum caput peccati in contrahendo matrimonium, est indignitas personæ. Et hæc est duplex. Prima est excommunicationis: vt si persona esset excommunicata siue maiore, siue minore excōmunicatione: quia excommunicatio minor excludit à passiuâ participatione sacramentorū. Constat autē vtrunq; coniugē suscipere sacramentū matrimonii quū cōtrahitur per verba de presenti. Secūda est peccati mortalis: vt si esset in peccato mortali statu. Censetur autē quilibet in peccato mortali esse, si postquā commisit mortale peccatum, non est contritus, si autem est contritus, iam non est in peccato mortali. Igitur ante quā cōtrahant matrimonium, debet vterq; cōfiteri de omnibus peccatis suis. Et si tunc non confitetur, & scit aut dubitat se excommunicationi maiori aut minori subiaceri, faciat se absolui, vt dignè possit contrahere: non contrahens cū altera excōmunicatione scienter, aut cum peccato mortali scienter, peccat mortaliter peccato sacrilegii: notabilē exhibēs sacramēto irreuerentiam.

Vsus matrimonialis coniugij multipliciter vitari potest.

Matrimonii peccata quantum ad vsum coniugij sunt ex capitibus xiiii. Primo, ex fine. Secundo, ex modo. Tertio, ex indispositione. Quarto, ex periculo. Quinto, ex debito. Sexto, ex loco. Septimo, ex tempore. Octauo, ex more. Nonno, ex voto. Decimo, ex adulterio. Vndecimo, ex abusu. Duodecimo, ex impudicijs. Tertiodecimo, ex qualitate damnata. Quartodecimo, ex innaturalitate contra ipsum ma-